gemino motu arsis et thesis omnis neuma formatur, preter repercussas aut simplices. Deinde arsis et thesis tum sibimet iunguntur, ut arsis arsi et thesis thesi; tum altera alteri, ut arsis thesi et thesis arsi coniungitur. Ipsaque coniunctio tum fit ex similibus, tum ex dissimilibus. Dissimilitudo autem erit, si ex predictis motibus, vel tonis, semitoniis, ditonis et ceteris alius alio plures pauciores ve habeat voces, aut magis coniunctas vel disiunctas. Dissimiliter deinde vel similiter facta coniunctione motus motui erit preppositus, vel in superiore positus, tum suppositus, tum appositus, vel cum meandi vocem unius finis erit alterius principium, tum interpositus vel quando unus motus infra alium positus et minus est gravis et minus acutus, tum mixtus vel parti interpositus, partique suppositus aut prepositus aut appositus.

Rursusque hee prepositiones dirimi possunt secundum laxationis et acuminis, augmenti et detrimenti modos variasque qualitates. Neume quoque per omnes modos poterunt variari et distinctiones aliquando de quare et descriptionem subiecimus, quo facilior via per oculos fit.



His breviter intimatis aliud tibi planissimum dabimus argumentum, utillimum usui, licet hactenus inauditum. Quo cum omnium omnino melorum causa claruerit, poteris tuo usui adhibere que placuerint commoda et nihilominus respuere que videbuntur obscena. Perpende igitur quia sicut scribitur omne quod dicitur, ita ad cantum redigitur omne quod scribitur. Canitur igitur omne quod dicitur. Scriptura autem litteris figuratur. Sed ne in longum nostra regula producatur, ex his de litteris v tantum vocales sumamus, sine quibus nulla alia littera sed nec syllaba sonare probatur. Rarum prima proponere casus efficit quotienscumque suavis concordia in versis partibus invenitur, sic persepe videmus tam consonos et sibimet alterutrum respondentes versus in metris, ut quandam quasi simphoniam gramatice admireris. Cui si musica simili responsione iungatur, duplici modulatione dupliciter delecteris. Has itaque v vocales sumamus, forsitan cum tantum concordie tribuunt verbis, non minus consonantie prestabunt et neumis. Supponantur itaque litteris monochordi, et quia v tantum sunt, tamdiu repetantur donec unicuique sono sua subscribatur vocalis hoc modo.

Γ A B C D E F G a b c d e f g a
a e i o u a e i o u a e i o u a

In qua descriptione id modo perpende, quod cum his v litteris omnis locutio moveatur, moveri quoque et v voces ad se invicem ut diximus non negetur. Quod cum ita sit, sumamus aliqua locutione eiusque syllabas illis sonis adhibentes decantemus, quos earundem syllabarum vocales subscripte monstraverint hoc modo.



Quod itaque de hac arte factum est et de omnibus posse